Herrn Dr Dittenberger, Lehrer am Joachimsthal-Gymnasium in Berlin vom dem Verfasser.

De Smyrnaeorum rebus gestis.

Pars prima.

Dissertatio inauguralis

quam

auctoritate atque consensu

amplissimi philosophorum ordinis

Academiae

Georgiae Augustae

ad summos in philosophia honores rite capessendos

scripsit

Cyriacus Dion. Mylonas

Graecus.

Gottingae 1866.

Typis expressit officina academica Dieterichiana.

Guil. Fr. Kaestner.

Viris illustrissimis

Fautoribus dilectissimis

XENOPHONTI BALLI
MICHAELI SPARTALI
JOHANNI BALLI

hasce studiorum meorum primitias

pio gratoque animo

D. D. D.

Ut omnibus, qui rem aliquam ad historiam spectantem tractant, mihi quoque de Smyrnaeorum rebus scripturo ante omnia fontes, quibus usus sim, accurate sunt indicandi, ut eis, quae reperisse mihi videor, major fides sit. Ac veterum quidem de Smyrna urbe librum peculiarem nemo scripsit, sed modo passim strictimque nonnulla nobis tradita sunt, ita ut haud facile sit, Smyrnae historiam, antiquissimorum potissimum temporum, conscribere. Et quamquam titulus C. I. G. n. 3311 testatur, Hermogenem quendam *Ἱστορικὰ περὶ Ζμύρνης* et *Πίνακα Ῥωμαίων καὶ Ζμυρναίων* scripsisse, tamen ejus libri nihil nobis servatum est. Cum vero aptis locis singula testimonia addiderim, omnes ceteros scriptores, ex quorum tenuibus testimoniis Smyrnae historiam colligere conatus sum, enumerare hic videtur non opus esse. Romanorum tempora tractantem inscriptiones atque nummi praeter ceteros fontes adjuvant, quamvis inde non multum proficiatur ad urbis ipsius statum qualis fuerit melius intelligendum.

Recentiorum autem, qui illas regiones lustraverunt, permulti Angli maxime, de Smyrna disseruerunt, ex quibus nomino hos:

Spon et Wheler, voyage au Levant. Tom. I.

Tournefort, Relation d'un voyage au Levant. Par. 1718. Tom. III.

Chandler, Travels in Greece and Asia Minor. Oxf. 1776.

Chandler, Reisen, ins Deutsche übersetzt. Leipz. 1776.

Pococke, Voyage en Orient trad. en franc. Par. 1772.

Choiseul Gouffier, Voyage pittoresque en Grèce. Tom. I.

Arundell, a Visit to the seven Churches of Asia. Lond. 1828.

Leake, Asia minor. Lond. 1828.

Poujoulat: in Michaud et Poujoulat, correspondence d' orient. Paris 1833—35. T. III.

Burgess, Greece and the Levant 2 Vol. Lond. 1834.

Prokesch: in Wiener Jahrbüchern für Literatur vol. 68 Anzeigeblatt p. 55 sqq. et vol. 67 Anzeigeblatt p. 60 sqq.

Arundell, Discoveries in Asia minor. Lond. 1834.

Fellows, Journey cett. Lond. 1839.

Hamilton Researches in Asia minor. 2 vol. Lond. 1842.

Ch. Texier, description de l'Asie mineure. Tom. II p. 294 sq. Paris 1849.

Qui omnes cum in locorum imprimis descriptione occupati fuerint, res urbis aut omnino non aut paucis strictimque tractaverunt.

Sed peculiarem de Smyrna dissertationem, quae *αὐτοσχέδιος διατριβὴ περὶ Σμύρνης* inscribitur, Oeconomus Graecus a. 1817 neograece primus scripsit atque in actis, quae *Ἑρμῆς ὁ λόγιος* dicuntur, edidit, cum Smyrnae in gymnasio philologico magistri munere fungeretur; iterum haec disputatio edita est Melitae a. 1835. Quod opus quamvis ab Oeconomo diligenter conscriptum sit, tamen, cum res neque temporum neque rerum ordine dispositae et cum saepe non recte agnotae sint, nihili faciendum

atque Smyrnaeorum laudatio oratoria magis quam vera rerum Smyrnaearum disquisitio habendum est.

Optime adhuc Lanius, Americanus[1]) de Smyrna urbe disseruit, cujus dissertatione ex recentiorum scriptis sola uti potui.

Genavensis enim A. Cherbuliez quamquam jam ante hos tres annos dissertationis suae »La ville de Smyrne et son orateur Aristide« tomum priorem imprimendum curavit, neque tamen ut ederetur permisit, prius quam alterum finivisset.

Haud exigui ad Smyrnae historiam recte cognoscendam momenti est quaestio de locorum conditione. Quae cum quamquam a multis viatoribus uberius tractata nondum ad certum finem perducta sit, nunc quidem de hac re obscurissima disputare omisi atque dum ipso in loco quaestionem instituere possem distuli.

In dissertatione autem hoc semper secutus sum, ut veterum testimoniis fideliter usus res sic, ut esse viderentur, describerem atque tum tantum, cum fontes deessent, ex ceterarum urbium rebus de Smyrnae judicare conarer; unde intelligi potest, cur saepius de rebus, quae ad Smyrnam ipsam pertinere non viderentur, disputaverim, cum lucem eas temporibus afferre appareret eis, de quibus disertis verbis nihil nobis traditum est: nam hac solum ratione imago aliquo modo perfecta oculis proponi potest.

De difficultate denique ejus rei, quam mihi proposui, pluribus disserere opus non videtur esse, quum unius cujusque judicio permulta esse relinquenda jam supra dictum sit, quam ob rem ut Plutarchus sic nos *εὐγνωμόνων ἀκροατῶν δεησόμεθα καὶ πρᾴως τὴν ἀρχαιολογίαν προσδεχομένων.*

---

1) Lane, Smyrnaeorum res gestae et antiquitates. Gottingae 1851. 8.

I.

Ut de ceterarum coloniarum, quae a Graecis deductae sunt, de Smyrnae quoque memoria ante migrationem Doricam nihil nobis traditum est [1]). Cum vero Smyrnae origo ad tempora multo antiquiora referenda esse videatur, non inutile futurum esse spero, si paucis de ea quoque aetate disputavero.

Atque de temporibus, quae Graecorum in Asiam migrationi praecesserunt, quamquam certi nihil potest inveniri, cum quae de iis relata sunt fabulis nitantur, tamen ex his colligi potest, Graecos, cum in Asiam colonias deducerent, non novas urbes condidisse, sed eas, quae ibi jam fuerint, occupasse; id quod non parvi momenti est.

Sed de aetate illa remotissima certi nihil constat, nisi Smyrnam a Lydis esse conditam, cujus prima fundamenta Tantalus in Sipylo monte jecisse dicitur [2]), quod antiquissimum oppidum nunc sic evanuit, ut nullae jam ejus ruinae inveniantur. Fluctibus enim lacus ejus, cui Tantali cognomen datum est [3]), quem quidem Pausanias se vidisse narrat [4]), haec antiquissima urbs, cum terra contremuisset [5]), hausta esse fertur [6]), sed re vera eam

---

1) Cf. K. F. Hermann Griech. Staatsalterth. §. 76.

2) Ael. Arist. *προσφωνητ. Σμυρν.* I p. 440.

3) Paus. V. 13, 4.

4) VII, 17, 3.

5) cf. Strab. 1, 58.

6) Ael. Arist. I p. 372 et 427 ed. Dindorf.

exstitisse demonstrare non possumus, quamquam terrae motum, quo Smyrnam illam periisse dicunt, accidisse praeter Strabonem[1]) etiam Aristoteles[2]) auctor est, atque Strabo idem alio loco[3]) disertis verbis hac de re dicit: *καὶ τὰ περὶ Σίπυλον δὴ καὶ τὴν ἀνατροπὴν αὐτοῦ μῦθον οὐ δεῖ τίθεσθαι.*

Quodsi Herodotus[4]) Smyrnam urbem ea aetate floruisse, qua Attys, Manetis filius Lydis imperaverit, commemorat neque tamen, quis ejus fuerit auctor, addit, statuendum est, Smyrnam hanc in ora maritima sitam fuisse, cum disertis verbis ille dicat[5]), Tyrseno duce[6]) Lydos Smyrnam descendisse atque ibi naves pepigisse, unde in Italiam profecti sint.

Jam vero inquirendum nobis est, qui hanc urbem, quae cum illa in Sipylo sita non confundenda est, condiderint. Et hos non Graecos fuisse inde colligi potest, quod multo post id tempus demum, de quo nunc dicimus, Graeci mare trajecerunt atque in Asiae ora sedes locaverunt; quo accedit, quod Stephanus Byzantinus[7]) Smyrnam in litore maritimo sitam ab eodem Tantalo conditam esse contendit[8]), cum dicat, Smyrnam urbem a Tantalo conditam esse, quam quidem Aristides[9]) in Sipylo jacuisse, tum *Ναύλοχον* appellatam esse atque postea demum Smyrnae nomen suum a Smyrna Amazone accepisse testatur.

---

1) Strabo l. c.

2) Meteorolog. II, 8 *γενομένου δὲ σεισμοῦ τὰ περὶ Σίπυλον ἀνετράπη.*

3) XII, 579.

4) l. c. 94.

5) l. c.

6) cf. Tacit. Ann. IV, c. 55.

7) s. v. Smyrna.

8) cf. Tacit. l. c.

9) l. c.

Quae omnia si inter se comparamus, difficultas exoritur, quomodo ea quae Herodotus et Stephanus tradunt cum Aristide conciliemus, cum hic Smyrnam antiquissimam a Tantalo conditam, in Sipylo monte collocatam fuisse tradat, ex illorum vero testimonio appareat, utrumque sibi persuasum habuisse, Smyrnam primam ad mare sitam fuisse.

Atque haec sic conciliari posse puto, ut Tantalum et in Sipylo urbem Smyrnam et in ora maritima *ἐμπόριον* ejus condidisse sumamus, quod idem est atque Smyrna ea, quam Herodotus quoque commemorat et Stephanus *Ναύλοχον* appellat [1]). Quae opinio ea re confirmatur, quod idem in paeninsula Idaea factum esse constat, ubi praeter Trojam antiquissimam in Ida monte sitam alteram in litore invenimus.

De Tantalo ipso idem censeo atque Prellerus, qui [2]) illum non re vera exstitisse putat, sed fabulis quae de eo latae sint, Graecorum sententiam indicari putat, nimiam superbiam atque felicitatem a deis maximis puniri suppliciis.

Quae quum ita sint ex fabula hoc tantum concludi potest, Smyrnam Lydis originem suam debere, neque de homine ipso, qui conditor exstiterit, certi quidquam constitui posse.

Smyrnam vero in litore sitam antiquissimis temporibus, priusquam Graeci hic consederint, cum capite regni Lydii conjunctam fuisse testis est Herodotus [3]), qui ad Sardes hinc viam exstructam esse narrat, qua in media

---

1) Hanc Smyrnam in ora collocatam fuisse fabula fert, unde Pelops in Peloponnesum transierit. cf. Ael. Arist. *Σμυρν. πολιτικ.* I, 372 et *προσφωνητικ. Σμυρναϊκ.* I, 440.

2) cf. Griech. Mythol. II, p. 380 Edit. II.

3) II, 106.

unum [1]) ex monumentis fuerit, quae Sesostris, cum has regiones expugnasset, eduxisse dicitur. Et quod haec munita est via, alia est causa, qua nobis persuadeamus, Smyrnam Lydorum *ἐμπόριον* fuisse ab eisque ideo conditam, ut ea, quae terra ipsorum ferret, et uno aptissimo loco colligerent et ad ceteras gentes hinc exportarent. Hermus enim fluvius ipse ad sinum Hermaeum eos non ducere non poterat, ubi portus Smyrnaeus optimum praesidium praebebat, atque Lydi, quos maximum commercium exercuisse constat, optime hoc portu usi sunt [2]).

II.

Eisdem temporibus, quibus propter rerum publicarum eversiones, quae per Heraclidarum migrationem in Graecia factae sunt, multae Graecorum gentes sedes patrias reliquerunt, Iones atque aliae gentes ex compluribus compositae ex Europa in Asiam migraverunt, quae causa fuit,

---

1) Hoc de monumento, quod etiamnunc exstat, conferas Kieperti egregiam dissertationem in Diurnis archaeol. vol. I p. 32 cum tab. 2 et 3, qui illud situm esse dicit »sieben Stunden östlich von Smyrna, in der Nähe des Ortes Nymphi, kaum eine halbe Stunde zur Seite des Weges nach Sardes gelegen.« Cujus num re vera Sesostris fuerit auctor, hic non attinet disquirere.

2) cf. Herodot. I, 94 et Curtius Griech. Gesch. vol. I, p. 63. Posterioribus quoque temporibus Smyrnam propter opportunam loci naturam emporium fuisse videmus ex Pseudoherodoto, qui in vita Homeri c. 5: *ἐμπόριον*, inquit, *γὰρ ἦν ἡ Σμύρνη καὶ σῖτος ἐξήγετο πολὺς αὐτόθεν ἐκ τῆς ἐπικειμένης χώρας δαψιλέως κάρτα ἐςαγόμενος ἐς αὐτήν*. cf. Philostr. vit. Sophist. p. 220 ed. Kayser et Arist. *Σμυρν. πολιτικ.* I p. 376.

ut Smyrna quoque novos cives acciperet. Jam vero primos colonos ab aliis Aeoles ab aliis Iones fuisse traduntur. Quorum utrum verum sit, cum propter fabularum, quae hac de re feruntur, varietatem non facile sit intellectu, recentiorum alii Iones [1]) alii Aeoles [2]) alii utrosque [3]) urbem condidisse contendunt.

Nos quidem ex eis, quae a veteribus nobis tradita sunt et ex hominum Germanicorum conjecturis sagacissimis id colligere conabimur, quod de urbis origine videtur verisimillimum esse.

Ac primum quidem varia illa, quae de Smyrnae origine nobis tradita sunt, consideremus.

Strabonis [4]) quidem sententia Smyrna vel Epheso vel vico prope Ephesum jacenti, cui et ipsi Smyrnae nomen fuisset, cives suos debuit; qua de re accuratius nobis narrat haec: Postquam Smyrnaei ab Ephesiis profecti sint, expeditionem eos suscepisse contra id oppidum, ubi Strabonis ipsius aetate sita sit Smyrna, quod tum Leleges possederint. Quibus depulsis veterem Smyrnam eos con-

---

1) cf. Wachsmuth, Hellen. Alterthumskunde vol. I, p. 159 edit. II, Halis 1846 Adnot. 7: »Aus Strabo XIV, 633—34 vgl. mit Herod. I, 146 scheint zu erhellen, dass von einem Orte bei Ephesus, genannt Smyrna, Ionier nach der nachher so benannten Stadt zogen, dass diese erst nachher äolisch ward, und darauf durch Kolophon wieder ionisch.«

2) cf. Duncker Gesch. d. Alterth. vol. III, p. 249. 293, qui ipse sibi repugnat, cum in eodem vol. p. 486 dicit: »Milet und Ephesos, Kolophon und Smyrna standen an der Spitze der Städte, welche die Ionier in Asien gegründet hatten.«

3) K. O. Müller, Gesch. d. griech. Lit. vol. I, p. 73. »Es ist wahrscheinlich, obwohl es nicht bestimmt gesagt wird, dass die beiden Bevölkerungen lange Zeit Smyrna gemeinschaftlich besassen.« contra eam sententiam Mülleri cf. Bergkium in Erschii et Gruberi Encyclop. sectio. I, vol. 81 p. 321.

4) XIV p. 634.

didisse, quae viginti stadia a posteriore abfuerit. Deinde cum ab Aeolibus pulsi ad Colophonios confugissent, ab his adjutos urbem denuo expugnasse [1]). Quod verum esse demonstrans Strabo Mimnermi versus his verbis affert: *καθάπερ καὶ Μίμνερμος ἐν τῇ Ναννοῖ φράζει, μνησθεὶς τῆς Σμύρνης, ὅτι περιμάχητος ἀεὶ*

ἡμεῖς δ'αἰπὺ Πύλον Νηλήϊον ἄστυ λιπόντες
ἱμερτὴν Ἀσίην νηυσὶν ἀφικόμεθα·
ἐς δ'ἐρατὴν Κολοφῶνα βίην ὑπέροπλον ἔχοντες
ἑζόμεθ' ἀργαλέης ὕβριος ἡγεμόνες·
κεῖθεν δ' Ἀστήεντος ἀπορνύμενοι ποταμοῖο
θεῶν βουλῇ Σμύρναν εἵλομεν Αἰολίδα.

Cum vero ejus partis Ephesi cives, quae Smyrna nominata erat, hanc Ephesiorum coloniam deduxerint, ea non ab ipsa civitate suscepta, sed propter aliquam factionum controversiam instituta esse videtur, unde explicari potest, cur, cum Smyrna illi ab Aeolibus depulsi essent, non Ephesum, in patriam suam, sed Colophona confugerint, id quod ipsa Strabonis [2]) verba docere mihi videntur haec: *ἀπελθόντες παρὰ τῶν Ἐφεσίων.*

Aliter hac de re statuit Lanius in libelli sui, qui inscribitur Smyrnaeorum res gestae et antiquitates p. 13, cui Ephesiorum moribus repugnare videtur, quod Smyrnam ab Ionibus Ephesiis conditam esse Strabo narret, cum hi suis finibus semper contenti fuerint neque colonias deduxerint. Idem Lanius [3]) hinc concludit, Smyrnaeorum nonnullos Ephesum sese contulisse atque ibi ab Ephesiis agris donatos esse, quos patriae suae nomine appellaverint.

---

1) Huc referenda sunt Herodoti verba I, c. 16. *Σμύρνην τὴν ἀπὸ Κολοφῶνος κτισθεῖσαν.*

2) l. l.

3) l. c. p. 14.

Sed traditum nobis est, Ephesios non solum in regionibus remotissimis, velut in Ponto Euxino[1]) portus atque in Nilo fluvio Ephesum insulam[2]) habuisse, sed etiam colonias re vera deduxisse, ut Eleum[3]).

Quo accedit, ut Lanii sententia vel ipsis Strabonis verbis[4]) refutetur, quibus certiores fimus, Ephesios in Lydiam, quam Maeones tum incoluissent, multas expeditiones suscepisse.

Quod denique Smyrna postea Ephesiis auctoribus in foedus Ionicum urbs tertia decima recepta est, non parvum nobis videtur esse argumentum, Ephesiorum esse coloniam, id quod Strabo XIV, p. 633 disertis verbis dicit: *Αὗται μὲν δώδεκα Ἰωνικαὶ πόλεις, προσελήφθη δε χρόνοις ὕστερον καὶ Σμύρνα εἰς τὸ Ἰωνικὸν ἐναγαγόντων Ἐφεσίων. ἦσαν γὰρ αὐτοῖς σύνοικοι τὸ παλαιόν, ἡνίκα καὶ Σμύρνα ἐκαλεῖτο ἡ Ἔφεσος.*

Neque negligendum fortasse est, quod Artemis Smyrnae in templo colebatur, id quod ex Quinto Smyrnaeo elucet, qui Posthom. XII, v. 309 sqq. dicit:

Πρίν μοι ἀμφὶ παρειὰ κατασκίδνασθαι ἴουλον
Σμύρνης ἐν δαπέδοισι περικλυτὰ μῆλα νέμοντι
τρὶς τόσον Ἑρμοῦ ἄπωθεν ὅσον βοόωντος ἀκοῦσαι
Ἀρτέμιδος περὶ νηόν, ἐλευθερίῳ ἐνὶ κήπῳ
Οὔρεϊ τ' οὔτε λίην χθαμαλῷ οὔθ' ὑψόθι πολλῷ.

Et quamquam certo dijudicare non possumus, num Artemis ea, quam Quintus commemorat, Ephesia fuerit, cum Smyrnae Dianam quoque *ταυροπόλον* cultam esse constet[5]),

---

1) Dionys. Thrax. de Thrac. Bosporo, Hudson III p. 17.

2) Hecataeus Mil. ap. Steph. s. v.

3) Plut. Parall. 41.

4) XIII, p. 620.

5) cf. C. I. G. n. 3137 v. 70. Preller, Griech. Myth. I, p. 241 sqq. edit. II. Duncker Gesch. d. Alterth. II, p. 433.

tamen titulus C. I. G. n. 3155 luculenter docet, Artemidi Ephesiae templum Smyrnae consecratum fuisse [1]).

Ea autem, quae Herodotus [2]) nobis de primis civibus Smyrnae tradit, a Strabonis testimonio omnino differunt, cum is Smyrnam in Aeoliocarum urbium numero referat [3]) narretque, postea demum ab Ionibus occupatam esse [4]).

Colophonis enim incolas, qui seditione in patria mota pulsi fuerint, a Smyrnaeis in urbem receptos, cum Smyrnaei ipsi extra urbem Dionyso dies festos agerent, urbe ab illis relicta potitos esse et, cum ceteri Aeoles cognatis suis auxilium tulissent, deinde cum his pactionem fecisse, secundum quam bona quidem Aeolum reddere debuissent, sed urbem ipsam retinuissent.

Quodsi Herodotus Smyrnam in Aeolicarum urbium numero refert, non sequitur, ut ab Aeolibus eam conditam esse constet, sed ex illo loco nihil apparet nisi per aliquantum temporis eam Aeolico foederi adscriptam fuisse; id quod eis temporibus videtur factum esse, cum Aeoles Ionibus pulsis urbem obtinerent [5]).

---

1) In Smyrnae nummis Artemis et Apollo una comparent, velut in ea, quam Mionnet descript. des médailles ant. tom III, n. 1123 commemorat, ubi in fronte Artemidis caput una cum arcu et pharetra, a tergo Apollo cum patera in dextra, sinistrum vero cubitum in lyra fulciens videtur. Quam ad Artemidem haud scio an hymni Homerici noni hi versus referendi sint:

Ἄρτεμιν ὕμνει, Μοῦσα, κασιγνήτην Ἑκάτοιο,
παρθένον ἰοχέαιραν, ὁμότροφον Ἀπόλλωνος,
ἥ θ' ἵππους ἄρσασα βαθυσχοίνοιο Μέλητος
ῥίμφα διὰ Σμύρνης παγχρύσεον ἅρμα διώκει
ἐς Κλάρον ἀμπελόεσσαν, ὅθ' ἀργυρότοξος Ἀπόλλων
ἧσται μιμνάζων ἑκατηβόλον ἰοχέαιραν.

2) I, 149.

3) cf. Paus. VII, 5.

4) cf. Paus. ibid.

5) cf. Strab. l. c.

Qua aetate Aeoles ab Ionibus pulsi sint, quamquam certo constituere non possumus, cum nihil de ea traditum sit, tamen paullo post Smyrnam ab Ionibus conditam id factum esse maxime verisimile est, atque ea fuit causa, cur et Herodotus omnino ignoraret [1]), Smyrnam ab Ionibus esse conditam, et cur Smyrna non antiquitus Ionico foederi adscripta esset, sed postea demum in id recepta sit, postquam denuo Ionibus est reddita.

Neque negligendum in Herodoti narratione est, etiamsi dolo Iones Colophonii urbem occupaverint, tamen Aeoles illis eam concessisse, id quod non futurum fuisse apparet, nisi quodam jure urbem illam suam vindicare potuissent [2]).

Etiamsi vero Herodoti locus eis, quae a Strabone tradita esse supra diximus, repugnare videtur, nihilo minus alter alterius sententiam confirmat. Si enim Herodoto notum fuisset, ab Ionibus Ephesiis Smyrnam conditam esse, id quod facile oblivione obrui poterat, cum paullo post Aeoles urbem occuparent, ea quae ille tradit cum Strabone prorsus congruerent.

Jam vero Pseudoherodoti [3]) sententiam restat ut respiciamus, qui Smyrnam XVIII annis post Cymen Aeolicam et eandem ab Aeolibus conditam esse dicit [4]) atque Theseum Thessalum, ex Eumaei stripe oriundum, urbis auctorem nominat, quam ex nomine conjugis Smyrnam appellaverit.

Quam opinionem falsam esse optime cognoscemus,

---

1) cf. Müller, griech. Literaturgesch. I, p. 73.

2) cf. Raoul Rochette hist. des colonies grecques tom. III, p. 99 sq. et Pertz Colophoniaca p. 31.

3) Vit. Hom. II.

4) cf. Vell. Paterc. I, 4 et Hom. epigr. 4.

si de temporibus, quibus Aeoles et Iones colonias in Asiam deduxerint, pauca disputaverimus.

At certi de hac aetate nihil constitui potest, cum scriptorum testimonia nimium inter se discrepent. Strabo enim Aeolicam migrationem quatuor aetatibus ante Ionum exstitisse vult [1]), quod contra Vellejus Paterculus [2]) Aeolicam posteriorem habet [3]).

Quantum nos quidem judicare possumus, Aeolum expeditio prior fuisse videtur [4]); neque tamen ea re efficitur Aeoles priores in Asiam pervenisse, cum hos non recta via sed lente per complures aetates migrasse [5]) atque oram maris Thracii secutos primum Cyzicum deinde paeninsulam Idaeam occupasse notum sit, quam inde ab litore paullatim expugnaverint. Curtius [6]) optime hac de re: »Die Aeolierzüge, inquit, haben noch am meisten den Charakter einer Völkerwanderung, welche ohne bestimmten Anfang und festen Zielpunkt sich Generationen hindurch langsam nach dem jenseitigen Festlande hinüber bewegte.«

Quod contra Ionum expeditiones a gentibus bellicosis susceptae sunt, quae quo expeditiores essent, sine mulie-

---

1) XIII, 582: *τέταρσι γὰρ δὴ γενεαῖς πρεσβυτέραν φασὶ τήν Αἰολικὴν ἀποικίαν τῆς Ἰωνικῆς.*

2) Hist. Rom. I, 4.

3) cf. Wachsmuth. Hell. Alterthumskunde I, 98. — Eratosth. ap. Clem. Alex. Strom. I, p. 336 B. — Apollod. ap. Euseb. Chron. I, p. 141. — Philochor. et Aristarch. ap. Euseb. praep. ev. X, p. 492 A; ap. Tatian. p. 108. — Clem. Alex. Strom. I, p. 326. D. — Marm. Par. cp. 27. — Boeckh C. I. G. II. 315. 316. 331 sq. — Palmer. exerc. p. 699. — Dodwell diss. 697. 8.

4) cf. Curtius Griech. Gesch. I, p. 103.

5) cf. Strabo XII, 582 *διατριβὰς δε λαβεῖν (Αἰολεῖς) καὶ χρόνους μακροτέρους.* — Vell. Pat. l. c. Aeolii longissimisque acti erroribus.

6) Griech. Gesch. I, p. 105.

ribus ac liberis profectae [1]) certum finem sequebantur: neque enim novas sedes quaerebant, sed in pristinam patriam redibant, ex qua olim in Graeciam trajecerant [2]).

Quae cum ita sese habeant verisimile est, Iones ante Aeoles in Asiam pervenisse atque Smyrnam condidisse; ex quo efficitur Aeolum colonias post Ionum demum Cymae atque in vicinitate ejus constitutas esse, quod secundum Curtium [3]) Aeoles diu in paeninsula Idaea incoluerunt, priusquam cum altera manu Aeolica recta via ab Euboea mare transgressa conjuncti Lesbum atque inde terram adjacentem occuparent. Quodsi igitur Pseudoherodoto aliquid tribuendum est, id quod commemorat nisi ad denuo aedificatam Smyrnam ab Ionibus jam conditam referri non potest. Haud dubie enim Pseudoherodotus fabulam de Smyrna a Theseo Ionico condita sibi traditam cum opinione sua, Aeoles fuisse urbis auctores, conciliare non potuit, atque ideo Theseum Aeolum ducem fuisse voluit; sententia enim ejus, Smyrnam Theseo Pheraeo originem debere, errore tantum nata esse potest. Nam etsi opinio Smyrnae pervulgata, eum Theseum, qui in Amazonum pugnis maxime sese fortem praestitisset, prima urbis fundamenta jecisse [4]), historiae fide caret, tamen originem ejus Ionicam fuisse indicat, neque neglegendum est, Smyrnae nomen re vera etiam Amazonis fuisse. Theseus autem heros gentilis erat Ionum [5]) atque etiamsi rerum ab eo gestarum campus Ionia praecipue Europaea

---

1) Herod. I, 146. cf. Curtius Griech. Gesch. I, p. 105.

2) Curtius l. c. et imprimis cf. ejus dissertationem: Die Ionier vor der Ionischen Wanderung. Berlin 1855.

3) Griech. Gesch. I, p. 105.

4) Aristid. I, p. 372. 425. 431. 436. 440. 763 ed. Dindorf.

5) Preller Gr. Myth. II, p. 285 ed. II.

fuit [1]), tamen dubitari nequit, clarum illum Atheniensem hoc nomine indicatum esse.

Raoul-Rochette [2]) quidem sumit, Aristidem hunc cum Theseo Thessalo confudisse, atque ad sententiam suam confirmandam Pheudoherodoti testimonio utitur, sed etiam Tacitus [3]) contra hoc facere videtur.

Aliud denique documentum, Smyrnae originem fuisse Ionicam [4]) nobis est Nemesis [5]) cultus jam antiquissimis temporibus ibi institutus, qui ex Attica huc translatus esse [6]) videtur.

Haec igitur de Smyrnae origine statuimus: cum Iones Ephesii primi urbem condidissent, non multo post ab Aeolibus eo facilius depulsi sunt, quod brevi tempore quo urbem possidebant, nondum tantopere sese corroboraverant, ut impetum feliciter defendere possent. Ex quo tempore Smyrna *Αἰολὶς* videtur appellata esse, velut in epigrammate Homerico apud Pseudoherodotum [7]):

Αἰολίδα Σμύρνην ἁλιγείτονα ποντοτίνακτον κτλ.

---

1) Preller l. c.

2) Hist. des colon. gr. tom. III p. 43.

3) Ann. IV, 56.

4) Et eadem fuisse sententia Athenienses intelliigi licet ex epigrammate illo in basi statuae Pisistrati insculpto: (Auct. vit. Hom. p. 27 Westerm.)

„Ἡμέτερος γὰρ ἐκεῖνος ὁ χρύσεος ἦν πολιήτης,
„εἴπερ Ἀθηναῖοι Σμύρναν ἀπῳκίσαμεν.

cf. Aristid *Προσφ. Σμ.* I. p. 443.

5) Paus. VII, 5, 2; IX, 35, 6. commemorat *ἱερὸν τῶν Νεμέσεων*, ubi Gratiae a Bupalo sculptae erant; accedit, quod in nummis Smyrnaeis modo una Nemesis modo complures comparent cf. Eckhel D. N. V. I, 2, 548.

6) Müller Gr. Literaturgesch. I, p. 72: »Ohne Zweifel wurde auch der smyrnäische Dienst der Nemesis von Rhamnus in Attica hergeleitet.«

7) c. 14 ed. Westerm.

et apud Callimachum [1]): καὶ Σμύρνης ἐστὶν ἀπ' Αἰολίδος. Ionum memoria ex hoc tempore prorsus obliterata est, ita ut Herodotus plane nihil de eis jam audiret atque saepe Smyrnam Αἰολίδα nominatam esse videremus [2]).

Aetatem autem, qua urbs condita sit, circa 1043 a. C. incidisse putamus, quo anno Iones ab Europa in Asiam trajecisse ab Eratosthene et Apollodoro dicuntur [3]).

Nomen Σμύρνα vero ipsum, cujus variae formae sunt Μύῤῥα [4]), Μυρίνα [5]) Ζμύρνα [6]), ab Amazone derivatum esse supra diximus; et cum Amazones templorum ministras ac Lunae sacerdotes fuisse a recentioribus sumantur [7]), urbis Smyrnae nomen ex cultu ortum esse videtur [8]).

---

1) Epigr. V. 12.

2) cf. Pertz Colophon. p. 31.

3) cf. Sengebusch, hom. dissert. post. p. 58. — Peter Griech. Zeittafeln p. 12. Anm. 25.

4) Μύῤῥα ἡ Σμύρνα παρ' Αἰολεῦσι Athen. XV, 688 c. Lobeck Patholog. p. 241.

5) Μυρίνα ἡ παρά τισι Σμύρνα λεγομένη Syncell. p. 181 A. — Euseb. Chron. p. 34.

6) Ζ et in inscriptionibus velut C. I. G. 3311 alibi et in nummis invenitur; cf. Eckhel D. N. V. I, 2, p. 545. De commutatione literae Σ et Ζ cf. Lucian. in judic. vocal. 9: ὅτι δέ ἀνεξίκακόν εἰμι γράμμα μαρτυρεῖτέ μοι καὶ αὐτοὶ μηδέποτε ἐγκαλέσαντι τῷ ζῆτα σμάραγδον ἀποσπάσαντι καὶ πᾶσαν ἀφειλομένῃ Σμύρναν. — Sext. Empir. adv. mathem. p. 638 Bekker: τὴν γὰρ ὀρθογραφίαν φασὶν ἐν τρισὶ κεῖσθαι τρόποις, ποσότητι, ποιότητι, μερισμῷ. ποσότητι μὲν κτλ. — ποιότητι δὲ ὅταν σκεπτώμεθα πότερον διὰ τοῦ ζ γραπτέον ἐστὶ τὸ σμιλίον καὶ τὴν Σμύρναν ἢ διὰ τοῦ σ. Idem p. 639: οὐδὲν γὰρ βλαπτόμεθα — ἐάν τε διὰ τοῦ σ τὸ σμιλίον καὶ τὴν Σμύρναν ἢ διὰ τοῦ ζ. cf. Weichert, Poetar. latin. reliqu. p. 169 sqq.

7) cf. K. O. Müller Dorier vol. I, p. 390 sqq.

8) Num posterioribus temporibus Smyrnae peculiaris Amozonum cultus exstiterit, nescimus; sed notandum est, in nummis deam

III.

Smyrnam igitur ab Ionibus conditam non diu in eorum ditione fuisse, sed mox ab Aeolibus expugnatam esse vidimus; de Aeolibus vero his nihil scimus, nisi saepius eos cum Lydis bella gessisse; quin etiam Pseudoplutarchus [1]) narrat, Lydos Maeone rege Smyrnam tenuisse, sed ab Aeolibus pressos urbem denuo reliquisse, id quod contra nostram sententiam, urbis originem Ionicam fuisse facere non videtur, cum illa per Lydos haud dubie post bellum gestum facta occupatio brevissima fuerit neque verisimile sit, Lydos si usque ab antiquissimo tempore perpetuo urbem possedissent [2]), tam celeriter eam omissuros fuisse.

Deinde traditum nobis est, Smyrnam a Chiis obsessam esse; quod quo tempore factum sit, certum non est. Quod enim, cum Aeoles eam possiderent, hoc accidisse Lanius [3]) suspicatur, certo demonstrare non possumus, cum ex eo quod Chii Iones erant, nondum efficiatur, ut bellum contra Smyrnam Ionicam gerere non potuerint; saepius enim bella ab Ionibus contra Iones gesta tradita sunt [4]). De ipsa obsidione haec nobis servata sunt: cum aliquando Smyrnaei extra urbem Baccho dies festos agerent, Chios subito urbem vacuam occupare conatos esse, sed Smyrnaeos celeriter accurrentes tam vehementer eos adortos esse, ut navibus omissis recedere illi cogerentur.

In memoriam vero hujus victoriae Bacchi die festo anniversario triremis circum ferebatur, in qua Bacchi sa-

---

Smyrnae urbanam Amazonis forma cusam esse. cf. K. O. Müller Handbuch der Archäol. §. 405. 1. p. 663 ed. III.

1) Vita Homeri III.

2) cf. p. 12 h. diss.

3) l. c. p. 17.

4) cf. Hermann Staatsalterth. §. 77 n. 30. — Curtius Gr. Gesch. I, p. 200. — Duncker Gesch. d. Alterth. II, p. 516.

cerdos gubernator prope gubernaculum sedebat [1]); atque nummi memoriae causa cusi sunt [2]).

Sed cum Ionibus pulsis, qui Smyrnam recuperare semper cupiverant, tandem contigisset, ut a Colophoniis adjuti Aeoles depellerent (cf. p. 13. h. diss.), hac urbe Aeoles numquam iterum potiti sunt [3]).

Et quamquam disertis verbis nobis non est traditum, quando Iones urbem receperint, tamen ex Pausania [4]) colligere possumus, jam ante Gygis Lydorum regis aetatem id factum esse; hic vero ad regnum anno 719 a. C. pervenit [5]). Idem Pausanias alio loco [6]) dicit Ol. 23 = 688 a. C. Onomastum quendam, Smyrna oriundum, quae urbs jam tum Ionica fuerit, victoriam Olympiae reportasse.

Jam vero Iones recuperata urbe Smyrna ut cetera oppida Ionica magna dominandi cupiditate regum Lydiorum urgebantur. Sic Gyges, Dascyli filius, Mileto atque Smyrnae bellum intulit expugnavitque Colophonem [7]); Smyrnaei autem tam fortiter contra eum pugnaverunt, ut eum fugarent [8]) suaque virtus in proverbii consuetudinem veniret [9]).

Nam bello Messenio secundo Aristomenes ac Theoclus Messeniorum animos ea re inflammare studebant,

---

1) cf. Arisd. *Σμυρν. πολ.* I, p. 373; id. *προσφ.* I, p. 440 — Philostr. vit. soph. I, 251 ed Kayser.

2) cf. Eckhel D. N. V. I, 2. p. 553.

3) Müller, Gr. Literat. Gesch. I, p. 74.

4) IV, 21, 3.

5) cf. Duncker Gesch. d. Alterth. II, p. 514. Anm 4.

6) V, 8, 7.

7) cf. Herod. I, 14.

8) Paus. IV, 21, 5.

9) *Σμυρναίων τὰ τολμήματα* Paus. IV, 21, 3. — *Σμυρναῖος τρόπος*: Arist. I, p. 373 *ὥστε καὶ τῶν ποιητῶν ἤδη τισὶ Σμυρναῖον τρόπον τὸ τοιοῦτον εἰρῆσθαι*: id quod fortasse ad Mimnermum referendum est.

quod eis *Σμυρναίων τὰ τολμήματα* in memoriam revocarent, quorum fortitudine factum esset, ut Gyges cum Lydis depelleretur. Mimnermus [1]) autem hanc victoriam elegiis celebravit [2]), quarum paucae tantum reliquiae apud Stob. Anthol. VII, 12 servatae sunt.

Quo anno Gyges hanc expeditionem contra Smyrnaeos susceperit aperte non traditum est; sed cum Gygem Lydorum regnum Candauli regis trucidatione consecutum esse Herodotus [3]) narret, Lydi vero ejus imperium agnoscere noluerint, excitatos eorum animos expeditionibus occupatos tenere studuisse eum consentaneum est, etiamsi, de imperio suo dubitaret, non oportere Pythia ei affirmavisset [4]). Quae cum ita sese habeant, expeditionem contra Iones in prima imperii ejus tempora (itaque paullo post a. 719) incidisse probabile est. Atque rectissime Curtius [5]) non solum domus regiae sed etiam omnium consiliorum publicorum commutationem apud Lydos tum factam esse dicit; Mermnadae enim terras occidentales aggrediebantur, cum aditum ad mare sibi apertum suo jure cuperent; quam ob causam ubi regnum assecuti sunt, bellum illud ab eis susceptum esse verisimile est. Palmerius [6]) quidem probabilius esse censet, memoriam Smyrnaeorum certaminis etiam tum recentem in animis fuisse

---

1) Sed ipsis pugnis non interfuit, ut Schoenemannus (Mimn. ragm. p. 5) falso dicit, sed ex senum ore illorum praeclare factorum memoriam se accipisse ipse profitetur:

οὐ μὲν δὴ κείνου γε μένος καὶ ἀγήνορα θυμόν
τοῖον ἐμεῦ προτέρων πεύθομαι, οἵ μιν ἴδον

Bergk. Anthol. lyr. p. 12. Nro. 14.

2) cf. Paus. IX, 29, 4.

3) I, 11.

4) Herod. l. c.

5) Gr. Gesch. I, p. 464.

6) Exerc. p. 388.

cum Aristomenes illorum exemplo Messeniorum animos incendere studeret; itaque expeditionem contra Smyrnaeos circa annum 688 factam esse; sed plane obliviscitur vir ille doctus, belli Messenii secundi aetate *τολμήματα Σμυρναίων* jam proverbii locum obtinuisse atque ideo aetate multo antiquiore accidere potuisse.

Post illud proelium Smyrnaeos atque victos Colophonios in gratiam cum Lydis rediisse, Lanius [1]) perperam contendit, cum eos, qui Gygem secuti sunt, illas incursiones non intermisisse videamus [2]). Sic Ardys, Gygis filius, Prienen expugnavit Miletoque bellum intulit, item Sadyattes, Ardyis filius, et Alyattes idem, qui Smyrnam expugnavit, bellum patrium contra Milesios persecuti sunt. Quae expeditiones omnes non accidissent, si Smyrnaei ac ceteri Iones re vera cum Lydis amicitiam conciliassent. Neque mirandum est, quod Lydi expeditiones illas contra Iones susceperint, cum horum fines antiquitus Lydii fuerint; nam modo Priene, Myus, Miletus in Carum terra sitae erant [3]). Accedit quod Lydi per Iones a commercio maritimo seclusi erant, cum illi Lydiorum fluminum ostia occupassent [4]).

Quod denique Lanius conjecturam suam, Smyrnaeos hac aetate cum Lydis familiaritate conjunctos esse, Nicolai Damasceni [5]) narratione fulcire studet, secundum quem rhapsodus Smyrnaeus, cui Magnes nomen erat, Gygis regis familiaris fuit atque Lydorum certamina contra Amazones perpetrata celebravit: nescimus, quo tempore id factum sit, utrum ante Gygis pugnam cum Smyrnaeis com-

---

1) p. 20.

2) Herod. I, 17.

3) cf. Herod. I, 142.

4) cf. Curtius, Gr. Gesch. I, p. 467. Duncker Gesch. d. Alterth. II, p. 515 sq.

5) cf. Müller, fragm. hist. graec. III, p. 375.

missam an post eam, deinde ex ea re, quod unus ex Smyrnaeis cum rege ac populo Lydorum amicitiam conciliaverat, nihil ad totam urbem concludi potest.

Traditum quidem est [1]) Colophonios cum Lydis amicitiam ac societatem iniisse; quod factum est, cum libertatem suam obtinere jam dudum non possent atque sub honesto nomine in potestatem Lydorum venirent. Fortasse vero hoc Croesi aetate factum est, qui hoc semper sequebatur, ut Graecas urbes non bello sed pactionibus sibi conciliaret [2]). Sic Colophonem quoque consecutus esse potest atque Phylarchi narratio hanc ad rem haud scio an referenda sit.

Gygem Ardys filius secutus per XLVIII annos [3]) regnavit atque patris exemplum imitatus multa bella gessit. Post ejus mortem regnum Sadyattes filius adeptus duodecim annos regnavit Graecorumque finibus bella et ipse intulit. Imprimis vero Miletum aggressus est [4]), cum ceterarum urbium fortunam ex hujus urbis possessione suspensam esse putaret [5]). Quo rege Smyrnaei ipsi libertate fruebantur, sed milites illi fortes, quorum animus ac virtus ceteris exemplum proponebatur, non jam erant. Divitiis enim ac luxuria effeminati contra hostes libertatem obtinere non jam potuisse videntur, ita ut aeque ac patrum animus ita filiorum luxuries [6]) ac superbia in

---

1) cf. Phylarchus ap. Athen. XII, 526.

2) cf. Curtius Gr. Gesch. I, p. 475.

3) 681 - 632. Herod. I, 16.

4) 626 a. C. cf. Duncker, Gesch. d. Alterth. II, p. 508.

5) Duncker l. c. — Curtius l. c. I, p. 470.

6) Etiam in aliis urbibus luxuries jam tum nimia erat. cf. Phylarch. et Theopomp. ap. Athen. p. 526. — Xenophan. fragmenta III, ap. Athen. p. 304. 648. — Duncker Gesch. d. Alterth. II, p. 521 et 526.

proverbiis versaretur. Velut Theognis v. 1104: *ὕβρις*, inquit, *καὶ Μάγνητας ἀπώλεσε καὶ Κολοφῶνα καὶ Σμύρνην*. Facile igitur Alyattes rex Smyrnaeos effeminatos sibi subjicere [1]) urbemque delere potuit; atque hoc modo Smyrna antiqua periit, cujus incolae trecentos annos [2]) per vicos non munitos [3]) dissipati vixerunt, quoad Alexander Magnus vel Antigonus atque Lysimachus urbem viginti stadia ab antiqua remotam iterum condiderunt, qua de re conferas quod infra dicam.

Quo anno Alyattes urbem expugnaverit haud facile constitui potest. Dunckerus [4]) quidem primas Alyattis regni res gestas Herodotum [5]) secutus sic computat, ut bellum Milesium in annos 620—615, bellum Medicum in annos 615—610 inciderit; quod si verum est, cum cetera

---

1) Duncker II, p. 519: miram sententiam habet, Mimnermum qui civibus suis res a majoribus fortiter gestas carminibus suis in memoriam revocaverit, auctorem fortasse hujus belli fuisse.

2) Quod Strabo (XIV, 646) tradit Smyrnaeos per quadringentos annos *κωμηδὸν* incoluisse, postquam Alyattes urbem delevisset, rectum esse nequit, nam etiamsi Alyattem primo regni anno i. e. 620 a. C. Smyrnam expugnasse atque Antigonum, qui iterum eam condidit ultimo anno vitae suae i. e. 300 a. C. hoc fecisse sumimus, tamen vix 320 annos intercessisse videmus. Quam ob rem Gronovio plane assentimur, qui illum numerum librariorum tantum mendum esse in thesaur. antiq. Gr. IV, p. 145 contendit. — cf. Duncker Gesch. d. Alterth. II, p. 520 adnot. 3.

3) Lanius p. 21 *κωμηδὸν* perperam interpretatur, quasi Smyrnaei ceteris oppidis Ionicis distributi essent. — cf. Müller Lit. Gesch. I, p. 204. — Duncker l. c. II, p. 520. — Forbiger, Handbuch d. alten Geogr. II, 182.

4) I, p. 519 adnot. 1.

5) I, 16: *οὗτος δὲ Κυαξάρῃ τε τῷ Δηϊόκεω ἀπογόνῳ ἐπολέμησε καὶ Μήδοισι. Κιμμερίους τε ἐκ τῆς Ἀσίης ἐξήλασε, Σμύρνην τε τὴν ἀπὸ Κολοφῶνος κτισθεῖσαν εἷλε* cf. id. I, 74.

ab Alyatte facta tum Smyrnae expugnationem post a. 610 accidisse necesse est.

Quae omnia hac sola re nituntur, quod solis defectio, qua bellum inter Lydos ac Medos diremtum esse Herodotus I, 74 narrat, in annum 610 incidisse statuitur [1]).

Quod contra altera ratio ab aliis [2]) instituta est, secundum quam illa defectio a. d. V. Kal. Jun. anni 585 a. C. fuit, unde colligendum esse puto, ex his rationibus, quae ipsae sibi repugnent, certi quid concludi de belli Medici aetate non posse.

Neque magis certum est, quo tempore Smyrna expugnata sit, quamquam ex ea ratione, qua Herodotus Alyattis res gestas enumerat, concludere possumus, post Medicum bellum demum id factum esse.

Lanius inde, quod Bupalo sculptori Chio a Smyrnaeis mandatum est, ut Gratiarum [3]) ac Fortunae [4]) statuas fingeret, effici posse putat, Smyrnam post a. 580 demum deletam esse — qua in re falsa opinione nititur ea, circa a. 600 Bupalum natum esse, cum secundum novissimam Brunii [5]) rationem circa Ol. 52 i. e. 570 a. Chr. demum natus sit — quod censet, Bupalum Smyrnaeis statuas conficere non potuisse ea aetate, qua κωμηδὸν incoluerint. Sed Mermnadarum consuetudo erat, templa eorum oppidorum quae expugnaverant non delere [6]).

---

1) cf. Francis Baily in Philosophical Transactions cet. for the year 1811 p. 269 part. I, p. 220—241 et Oltmannum in Schrift. d. Berl. Ak. 1812—13. — Bode's astron. Jahrb. 1823 p. 107—208.

2) Zech, astron. Untersuch. über wichtige Finsternisse. Preisschrift der Jablonofskischen Gesellschaft der Wissensch. zu Leipz. 1853, quem Curtius Gr. Gesch. I, p. 473 secutus est.

3) Paus. IX, 35, 2.

4) Paus. IV, 30, 4.

5) Künstlergesch. I, p. 38.

6) id quod Lanius ipse concedit. cum dicat l. c. »Quamquam

Qua re etiam eversa urbe Smyrnaeorum templa servata esse atque eos statuas faciendas curare potuisse consentaneum est.

Quod deinde urbe ab Alyatte expugnata nonnullos Smyrnaeorum se Colophona contulisse Lanius [1]) scholiastae Platonici [2]) verbis atque Apostolio [3]) nixus sumit, non magis rectum esse mihi videtur, cum illa in urbe, quam ab Alyatte expugnatam esse ex Theognidis loco allato intelligimus [4]), meliorem conditionem se consecuturos esse sperare non potuerint. Apostolii vero verba: *Σμυρναίους γὰρ ἐλθόντας συνοίκους ἐκέκτηντο* — si verum tradunt — ad ea tempora referenda sunt, quibus Smyrnaei ab Aeolibus depulsi Colophona confugerunt.

Quod denique Kiepertus [5]) contendit, etiam post Smyrnae eversionem hanc urbem, priusquam Alexander novam aedificaverit, nunquam exstare destitisse, haec sententia disertis Strabonis verbis repugnat [6]), neque usque ad Alexandri tempora Smyrna urbs apud ullum scriptorem commemoratur.

Quae cum ita sint, conjici licet, Smyrnaeos eadem atque ceteros Iones fortuna usos ut hos Croeso subjectos

---

vero urbs ipsa vastata est a templis tamen deorum ex veterum more manus abstinuisse Lydi videntur«. — sic Alyattes Athenae Asseseae templum combustum restituit. cf. Herod. I, 19—21. — Curtius Gr. Gesch. I, p. 470.

1) p. 21.

2) ad Theaetetum p. 897 ed. Orell.

3) XVI, 92 ed. von Leutsch.

4) cf. Duncker, Gesch. d. Alterth. II, p. 521.

5) Arch. Zeitung, Jahrg. I, p. 37 Anm. 5.

6) cf. Forbiger, Handbuch d. alten Geogr. II, p. 182. Anm. 86: »Die Stelle bei Scyl. p. 37, nach welcher auch in Philipps Zeitalter eine Stadt Smyrna existirt haben soll, ist daher wohl unächt.«

tributa pensitasse [1]), cum vero Croesus a Cyro victus esset Persarum una cum ceteris Asiae Graecis [2]) stipendiarios factos esse. Ac omnino nullius momenti Smyrna tum fuisse, inde videmus, quod inter urbes, quae a Persarum dominatione se liberaverint, non commemoratur, quam ob rem ne discerni quidem potest, num seditionis illius particeps fuerit. Unde igitur Dunckerius [3]) hauserit, aeque ac ceteros Iones Smyrnaeos quoque eo propensos fuisse, ut seditionis causam desererent, intelligere non possumus.

Neque post Persarum bellum Smyrnae auctoritas crevisse videtur; eandem vero fortunam subiit atque ceterae urbes — si illa aetate Smyrna urbs nominari potest, — quae nomine quidem sociorum fruebantur, re vera autem subjectae erant [4]); nomen vero Smyrnae his quidem temporibus non nominatum invenitur.

Restat ut pauca addamus de Groti sententia [5]), qui ex Pindari fragmento 115 ed. Dissen: *καὶ λιπαρῷ Σμυρναίῳ ἄστει* concludere vult, Smyrnaeorum urbem post eversionem per Lydos factam non desiisse: id quod sine causa fecit, cum ex uno illo fragmento nihil de qua aetate Pindarus dixerit intelligere possimus.

IV.

Postquam Smyrna per trecentos annos in vicos non munitos dissoluta fuit, incolae secundum alios ab Alexan-

1) Herod. I, 6. et 28.
2) cf. Thuc. I, 16.
3) Gesch. d. Alterth. IV, p. 628.
4) cf. Müller, Lit. Gesch. I, p. 204.
5) History of Greece III, p. 253.

dro, secundum alios primum ab Antigono deinde a Lysimacho iterum consociati sunt.

Pausanias [1]) quidem quocum Aristides [2]) consentit, narrat, Alexandrum in Pago monte olim venatum ad Nemesium templum pervenisse atque ibi prope fontem sub platano obdormivisse; in somno vidisse Nemeses, quae se cohortarentur, ut ipso illo loco urbem conderet. Cum vero Smyrnaei Apollinem consultum Clarum ivissent, hoc responsum abstulisse:

Τρὶς μάκαρες κεῖνοι καὶ τετράκις ἄνδρες ἔσονται,
οἳ Πάγον οἰκήσουσι πέρην ἱεροῖο Μέλητος.

quod consilium secutos illo loco domicilium eos collocasse.

Atque igitur in Smyrnae nummis Alexander dormiens atque Nemeses una cum eo saepe inveniuntur: prope Alexandrum ibi dormientem sub arbore atque caput fulcientem in galea duae stant Nemeses longis tunicis indutae [3]).

Contra hoc Pausaniae facit id quod Strabo [4]) tradit, Antigonum atque post eum Lysimachum secundos urbis conditores exstitisse, quod haud scio an ita interpretandum sit, ut Lysimachus urbem amplificaverit atque exornaverit [5]).

Recentiorum vero nonnulli [6]) discrepantia illa testimonia sic conciliare student, ut Alexandrum quidem Smyrnam restitui jussisse, sed Antigonum demum ac Lysimachum hoc exsecutos esse dicant.

---

1) VII, 5, 1.

2) I, p. 431. 436. 440 cf. Plin. n. h. V. 31.

3) cf. Mionnet, description des médailles antiques III. n. 1279. 1296. 1410. Id. Supplément III, n. 1707 et Eckhel D. N. V. I. 2 p. 548.

4) XIV, p. 646.

5) cf. Forbiger Handb. d. a. Geogr. II, p. 182.

6) Palmerius, exercitat. p. 346. — Hegewisch, Griech. Colonien p. 21. — Droysen, Gesch. Alexand. p. 122.

Sed cum scriptores ei, qui magni illius regis res gestas tractaverunt, omnino nihil de instauratione Smyrnae ab Alexandro facta dixerint, Pausaniae atque Aristidi fidem non habendam esse censeo, cum scriptores illos de hac re satis gravi [1]) nihil relaturos fuisse non putem, si quid de ea compertum habuissent: itaque quae Strabo dixit recte sese habere censeo.

Pausaniae autem fabulae eo minus quidquam tribuere debemus, quod propter superstitionem saepius nimis credulum se praebuerit, quam ob rem in hujusmodi quaestionibus cautio est adhibenda [2]).

Quod vero ad Aristidem attinet, quis est, quin videat, hanc ob causam ab eo, cum fabulam tum in populi ore pervulgatam sequeretur, Alexandrum urbis conditorem nominatum esse, ut urbem celebraret populoque blandiretur? Atque eo minoris momenti testimonium ejus est, quod in literis, quas ad Marcum Aurelium, Antoninum, L. Aurelium Commodum imperatores dedit, ab iis petens, ut Smyrnam terrae motu vastatam restaurarent, Lysimachum ipse inter conditores urbis nominat [3]).

At videntur Smyrnaeorum nummi Pausaniae testimonium confirmare. Sed cum aliae quoque urbes in nummis suis Alexandrum auctorem suum nominaverint [4]), ab

---

1) Idem jam Palmerius intellexit, cum l. c. dicit: »Non minus mirum est, Arrianum, qui de Alexandri gestis scripsit, nihil de ea Smyrnae instauratione dixisse« cf. Raoul-Rochette hist. d. colon. grecq. IV, p. 121.

2) cf. König, de Paus. fide et auctoritate. Berol. 1832.

3) I, p. 763: *Μὴ γάρ μοι Λυσίμαχον ἔτι, μηδὲ Ἀλέξανδρον αὐτόν μηδὲ Θησέα καὶ μύθους, ἀλλ' ὑμεῖς οἰκισταὶ τῆς πόλεως γένεσθε.*

4) Sic Apolloniatae Cari originem urbis suae ad Alexandrum referebant, cum caput ejus videamus in nummis illius urbis repraesentatum cui adscriptum est: *ΑΛΕΞ. ΚΤC. ΑΠΟΛΛΩΝΙΑ.* cf. Mionnet

eo non conditae, eadem videtur Smyrnae ratio esse; praesertim cum ne ea quidem oppida omnia, quae ex ejus nomine Alexandriae appellatae sunt, re vera ab eo condita sint, sed diadochi, qui dicuntur, urbes in Alexandri honorem ejus nomine appellaverint: *ἔδοξε γὰρ εὐσεβὲς εἶναι τοὺς Ἀλέξανδρον διαδεξαμένους ἐκείνου πρότερον κτίζειν ἐπωνύμους πόλεις εἶθ' ἑαυτῶν* [1]).

Jam vero Smyrnam novem viginti stadia a pristina abfuisse Strabo narrat [2]): partem ejus fuisse in monte [3]) structam, majorem vero partem in planitie prope portum sitam fuisse.

Sed ut omnis Smyrnae memoria non integra nobis servata est, ita inde ab ejus instauratione usque ad Antiochi II, cui *Θεός* cognomen datum erat, tempora urbs vix commemoratur ita, ut urbis non magnam fuisse auctoritatem colligere possimus. Tamen ex ceterarum urbium conditionibus de hac quoque urbe judicare nobis licet, quam ob rem quaenam earum fuerint res publicae paucis inquiramus.

Atque ab Alexandro quidem, postquam Darii satrapas Graecosque mercenarios, quibus Memnon praefectus erat, ad Granicum a. 334 vicerit [4]), Graecis urbibus suis

---

III, n. 199. 170. 171 et. suppl. VI, 170. Idem valet de Nicaea Bithynica aliisque urbibus cf. Raoul-Rochette hist. d. col. grecq. IV p. 122 sqq.

1) Strab. XIII, p. 593.

2) l. c. cf. Prokesch Wiener Jahrbücher LXVIII. Anzeigeblatt p. 55 et Welker Episch. Cycl. I, p. 142 adn. 164 — Pococke III, p. 58. — Chandler c. 20 p. 100 et Fellows Excursion in Asia minor p. 10 sqq. — Hamilton researches in Asia minor 1. p. 46. sqq.

3) Qui hic fuerit mons, ex Strabone videre non possumus; Forbigerus vero l. c. eundem fuisse putat, quem Plinius h. n. V 29, 31 Mastusiam appellat.

4) Arrian. I, 16. cf. Diodor. XVII, 20 sqq.

legibus vivendi potestatem redditam atque tributa eis condonata esse constat [1]), neque quin eisdem bonis Smyrnaei, qui antea ut ceterae Ionicae urbes sub Spithridate satrapa fuerant [2]) affecti sint dubitari potest [3]).

Alexander eis regionibus, quibus antea Spithridates praefuerat, ad quas cum Ionia tum Smyrna pertinebat [4]), Assandrum [5]) Philotae filium praefecit, qui usque ad Alexandri reditum ex Aegypto Lydiam administravit [6]) quo tempore quum in Graeciam ivisset, ut milites mercede conduceret [7]), Maeander Magnes, unus ex Alexandri sodalibus ei successit [8]).

Quibus temporibus quamquam Smyrnae ita ut ceteris Ionicis oppidis praefecti illi praeerant, tamen libertate sua utebatur. Nullo enim modo accipi potest, hanc administrationem ad res civiles pertinuisse, cum hoc repugnet liberae civitatis formae, qua Alexander civitates non solum Graecas, sed etiam Lydias donavit [9]). Praefecti

---

1) Arrian. I, 18 „*Λυσίμαχον δὲ τὸν Ἀγαθοκλέους ἐπὶ τὰς Αἰολίδας τε πόλεις ξὺν δυνάμει οὐκ ἐλάττονι ἐξέπεμψε καὶ ὅσαι Ἰωνικαὶ ὑπὸ τοῖς βαρβάροις ἔτι ἦσαν. καὶ τὰς μὲν ὀλιγαρχίας πανταχοῦ καταλύειν ἐκέλευσε, δημοκρατίας δὲ ἐγκαθιστάναι καὶ τοὺς νόμους τοὺς σφῶν ἑκάστοις ἀποδοῦναι, καὶ τοὺς φόρους ἀνεῖναι ὅσους τοῖς βαρβάροις ἀπέφερον*“. Diod. XVII, 24 „*μάλιστα δ' εὐεργέτει τὰς Ἑλληνίδας πόλεις, ποιῶν αὐτὰς αὐτονόμους καὶ ἀφορολογήτους, προσεπιλέγων ὅτι τῆς τῶν Ἑλλήνων ἐλευθερώσεως ἕνεκα τὸν πρὸς Πέρσας πόλεμον ἐπανῄρηται*“.

2) Arrian. I. 12, 8.

3) cf. Guhl Ephesiaca p. 55.

4) Arrian. I. 13, 8.

5) Arrian. I. 17, 7. Droysen Gesch. des Hellen. I. 45.

6) Arrian. III. 6, 8.

7) cf. Droysen Gesch. Alex. p. 217. — Arrian. IV. 7, 2.

8) Arrian. III. 6, 8.

9) Arrian. I. 17, 4. *Σαρδιανοὺς δὲ καὶ τοὺς ἄλλους Λυδοὺς τοῖς νόμοις τε τοῖς πάλαι Λυδῶν χρῆσθαι ἔδωκε καὶ ἐλευθέρους εἶναι ἀφῆκεν.*

enim illi ideo tantum instituti erant, ut civitates Graecas a Persarum incursionibus tutarentur, quorum opes maritimae tum haud exiguae erant [1]).

Quum in his urbibus semper optimates essent, qui a Persarum partibus starent velut Ephesi *οἱ περὶ τὸν Σύρφακα* [2]), sola restitutio rei publicae popularis Graecas urbes a Persis liberare potuit.

Nisi Alexander populo libertatem, qua antiquitus fruebatur, reddidit, neque ullo modo paucorum imperium delere neque Persarum auctoritatem prohibere potuit. Quam ob rem ubique imperium paucorum dissolvi atque populare imperium restitui jussit [3]).

Post Alexandri mortem (a. 323) a Perdicca, qui *ἐπιμελητὴς αὐτοκράτωρ* nominatus erat [4]) Meleagros [5]) Lydiae praefectus est; Perdicca interfecto [6]) Macedones Antipatrum procuratorem imperii creaverunt [7]), qui quum denuo satrapias distribuerit, Clito Lydiam tradit [8]).

Quibus temporibus Smyrnam ceterasque Graecas in Asia urbes libertatem suam servasse cum aliis ex rebus tum ex eo intelligere possumus, quod a. 311 ab Antigono cum Lysimacho, Cassandro, Ptolemaeo pactio facta est [9]), qua hoc inter eos convenit, ut Antigonus Asiae praeesset, Graeci vero sui juris manerent.

---

1) Arrian. I. 20 cf. Droysen Gesch. Alex. p. 124 sqq.

2) Arrian. I. 17, 12. — Droysen Gesch. Alex. p. 120 sq. cf. cum p. 116. — Guhl Ephesiaca p. 54.

3) Arrian. l. c.

4) Diod. XVIII. 2, 25.

5) Diod. XVIII. 3, 5.

6) Diod. XVIII. 36, 30.

7) Diod. XVIII. 39, 15.

8) Id. l. c.

9) Diod. XIX. 105 cf. id. XX. 19.

Cum Antigonus in proelio ad Ipsum commisso vitam perdidisset, regnum inter reges, qui eum vicerant, distributum est [1]) atque Lysimachus cum meridionali ora Asiae citra Taurum Lydiam [2]) atque sic etiam Smyrnam accepisse videtur [3]). Sed quoniam Demetrius, Antigoni filius, classe mare in ditione tenebat [4]), verisimile non est, Lysimachum urbes maritimas statim post Antigoni regni distributionem occupare potuisse, id quod de Epheso certo constat [5]). Hac enim a. 295 demum Lysimachus potiri potuit, quo tempore Demetrius ad Peloponnesum se convertit [6]).

Smyrnam autem non statim post Antigoni mortem in ditionem Lysimachi venisse inde colligere possumus, quod Smyrnaei in bello, quod Colophonii contra Lysimachum gesserunt, his auxilium tulerunt [7]).

Sub Lysimachi imperio omnes quae erant Asiae urbes libertatem amisisse videntur; urbium enim instituta et leges tum commutare solebat ille, ut nova civitatum forma instituta eo certius illas possideret [8]). Sic Ephesi populari imperio dirempto senatum ac triginta epicletas, qui nominabantur, instituit [9]). Quam ob rem similes mu-

---

1) cf. Plutarch. Demetr. c. 29. 30.

2) cf. Droysen Diadochen I, p. 548.

3) Quomodo imperium Antigoni inter Seleucum et Lysimachum dispertitum sit, hac de re maxime dubitatur cf. Droysen Diadochen I, p. 545 sq. et Appian. Syriaca 55.

4) Droysen l, c. p. 555.

5) cf. Droysen Diadochen I, p. 554. Adn. I.

6) cf. id. l. c. p. 571. sq.

7) Paus. VII. 3, 1. Smyrnaeorum ac Colophoniorum eis, qui hac in pugna ceciderunt, monumentum in sinistro latere viae ejus exstructum est, quae ad Clarum ducebat

8) cf. Droysen Diadoch. I, p. 609.

9) cf. Strab. XIV, p. 640.

tationes Smyrnae quoque ab eo factas esse probabile est [1]).

Neque urbes maritimas atque insulas imperio ejus contentas fuisse demonstratur eo, quod illae Seleuci partibus favisse videntur [2]).

Postquam Lysimachus in pugna in Cori planitie commissa [3]) per Seleucum a. 281 [4]) cecidit, regnum ejus ad Seleucum pervenit [5]). Qui cum aetate esset provectus atque patriam videre cuperet, in Macedoniam ire atque ibi reliquam vitae partem degere constituit, quam ob rem Antiocho filio Asiae administrationem tradidit [6]). Quam vix Antiochus recepit, cum patris caede [7]) multae pugnae ac seditiones excitatae sunt, quas Antiochus opprimere omnes non potuit [8]). Nam in Europa Antigonus cum Aetolis conjunctus Macedoniam vindicavit suam atque in Asia minore multae urbes ab Antiocho defecerunt [9]), quarum in numero Smyrnam fuisse omnium rerum perturbatione usam, ut libertatem restitueret, verisimile est [10]).

---

1) cf. Droysen l. c.

2) velut Lemnii Athen. VI, p. 255. atque *Σελευκιζόντων* factio omnibus in urbibus major fuisse videtur cf. Polyaen. VII. 57 et Memnon ap. Phot. biblioth. p. 225 ed. Bekkeri *καὶ παιδοκτόνος ἔτι ὁ Λυσίμαχος διόπερ μῖσος δίκαιον παρὰ τῶν ὑπηκόων ἐλάμβανε.* cf. etiam Droysen Diadochen I, 639.

3) Porphyr. ap. Scalig. p. 63: *ἐν τῇ περὶ Κόρου πεδίον μάχῃ.* Appianus dicit: *περὶ Φρυγίαν τὴν ἐφ' Ἑλλησπόντῳ πολεμῶν.*

4) cf. Clinton F. H. II, 239. — Droysen Diadoch. I. Addit. I.

5) Memnon ap. Phot. bibl. p. 225 ed. Bek.

6) Idem l. c. p. 226.

7) Cum Hellespontum transiisset, a Ptolemaeo Cerauno interfectus est. Droys. Diadoch. I, 642.

8) cf. Memnon p. 227.

9) cf. Droysen Diadoch. I, 644.

10) Droysen Gesch. d. Diadoch. II, p. 229. »Wohl hatten sich in den einst selbständigen Städten Kleinasiens, da Seleukos heran-

Antiochus II, qui patrem a. 263 subsecutus est, cui cognomen θεός fuit[1]), cum Ioniae urbibus libertatem redderet[2]), Smyrnaeis potissimum favisse ac beneficiis eos affecisse videtur, quam ob rem matri ejus Stratonicae templum aedificaverunt[3]).

Post Antiochi II mortem (a. 247) Ptolemaeus III Euergetes bellum contra Seleucum II Callinicum gessit et etiamsi omnes jam Asiae urbes ab hoc defecerant[4]), Smyrnaei imminente periculo nullo modo moti Seleuco regi fidelitatem servaverunt; quam ob rem, ut praemio digno eos afficeret, αὐτονομίαν καὶ δημοκρατίαν τῷ δήμῳ donavit urbemque ἱερὰν καὶ ἄσυλον reddidit[5]). Neque exigua fuit utilitas, quam Smyrnaei regi attulerunt: non solum enim ipsi in officio regis permanserunt, sed alios quoque ut Magnetes ad Sipylum habitantes admonuerunt, qui exemplum ab ipsis datum sequerentur. Cum Magnetibus enim pacti sunt[6]), ut eosdem haberent et amicos et hostes; oppidumque cui Παλαιμαγνησία nomen erat, oc-

---

zog, die Seleukizonten erhoben, um der drückenden Herrschaft des Lysimachos frei zu werden, jetzt war es Zeit auch der syrischen Oberhoheit sich zu entledigen, und spätere Verhältnisse zeigen, dass wenigstens die bedeutenderen Staaten, Ephesos, Smyrna, Milet, die Inseln der Küste die Freiheit entweder behaupteten oder gewannen.«

1) ὅτῳ Θεὸς ἐπώνυμον ὑπὸ Μιλησίων γίγνεται πρῶτον, ὅτι αὐτοῖς Τίμαρχον τύραννον καθεῖλεν. App. Syr. 65, 75.

2) Joseph. antiq. 12, 32 ap. Droysen Diadoch. II, p. 299, Anm. 66.

3) Boeckh C. I. G. nr. 3137.

4) Justin. XXVII, 1.

5) C. I. G. l. c.

6) C. I. G. nr. 3137 pars I v. 14 sqq. Hanc societatem usque ad Romanorum tempora exstitisse ex C. I. G. nr. 3157 elucet.

cupaverunt, quo nixi omnem illam regionem regi servarent [1]).

Cum deinde nonullis annis post bellum inter Attalum I Pergami regem atque Achaeum [2]) exardesceret a. 222, omnes urbes Aeolicae et quae vicinae erant, inter eas Smyrna, Achaeo se tradiderunt, quem omnes cis Taurum habitantes timuisse Polybius auctor est [3]).

Sed cum Achaeus contra Selgenses se convertisset [4]), Attalus hac occasione usus contra eas urbes profectus est, quae primae Achaeo se dediderant, quarum paucae tantum vi captae plurimae sponte traditae sunt; quo in numero Smyrnaei quoque erant, qui praeter omnes fidelitatem ei servaverunt. Quam ob rem Attalus amicissime legatos Smyrnaeorum accepit [5]).

V.

Nonullis annis post circa a. 197 a. C. Antiochus III, Seleuci filius, Media ac Parthia aliisque terris, quae ante eum desciverant, in ditionem redactis aliisque multis rebus praeclare gestis, contra Aeoles atque Iones expeditionem suscepit. Exhortatus eos est, ut, cum Asiae do-

---

1) C. I. G. l. c.

2) Antiocho III erat cognatus (cf. Polyb. IV, 48), a quo postea (a. 217) descivit; a. 214 captus et interfectus est. Polyb. VIII, 17—23.

3) Polyb. V, 77.

4) Polyb. V, 77, 15.

5) Idem l. c.

minus esset, sibi se subjicerent, quoniam pristinis Asiae regibus subjecti fuissent [1]).

Plurima Graeca oppida vim ejus verita praesidia ejus receperunt; Smyrnae autem et Lampsaci et Alexandriae Troadis cives resistebant et legatos ad Flaminium, Romanorum ducem miserunt, qui ipso illo tempore Philippum, Macedoniae regem, in Thessalia vicerat, ut auxilium sibi ferret [2]). Antiochus, qui timuisse videtur, ne Romani hanc occasionem arriperent, ut Asiae quoque rebus se immiscerent, et ipse legatos ad Flaminium misit, sed ille eum jussit a liberis urbibus manus abstinere neque bellum eis inferre [3]). At rex cum, si Smyrna atque Lampsacus liberae manerent, metueret, ne Smyrnae exemplum ceterae Ionicae atque Aeolicae urbes Lampsaci autem Hellesponti urbes sequerentur [4]), Epheso, ubi hiberna habuerat, exercitum misit, qui Smyrnam expugnaret [5]). Eo magis enim ejus intererat, ne hostiles has urbes relinqueret, quod in Europam trajecturus erat [6]); quod consilium tamen neque vi nec pactione exsecutus est. Nam quum ab Aetolibus ad auxilium vocatus [7]) in Europam cum exercitu trajecisset, a Romanis vere primum ad Thermopylas [8]) deinde etiam ad Corycum [9]) et ad Myonnesum [10]) promontoria classe victus esset, periculumque

---

1) App. Syr. I.
2) 197 a. C. cf. Mommsen römische Geschichte I, p. 121. Ed. 4.
3) Liv. XXX, 34. — App. Syr. III 64.
4) Liv. XXXIII, 38.
5) Idem l. c.
6) Liv. XXXV, 42.
7) Liv. XXXV, 12. 30. 43.
8) Liv. XXXVI, 14—21. XXXVI, 19.
9) Liv. XXXVI, 41—45.
10) Liv. XXXVII, 30. 33. 47.

esset, ne a Romanis in Asia etiam terrestri exercitu, qui Hellespontum jam transierat [1]), premeretur [2]), perterritus a Smyrnae oppugnatione destitit neque quidquam antiquius habuit, quam ut legatos ad Romanos mitteret, qui pacem peterent: tres enim urbes illas, quae belli causa fuissent, Romanis se relicturum ac belli sumptuum dimidium restituturum esse [3]).

Romani Lampsacenos ac Smyrnaeos ad se vocaverunt, ut de rebus illis eos explorarent atque *οἱ περὶ Κοίρανον* a Smyrnaeis Romam missi sunt [4]), ubi Smyrnaei maximis laudibus affecti sunt, quod summa pericula subire, quam Antiocho se subjicere maluissent [5]). Quin etiam Romanis auxilium navibus tulerant Smyrnaei, cum C. Livius in Asiae ora et in Hellesponto bellum gereret [6]).

Cum ergo pax cum Antiocho conciliata esset [7]) a. 189, Smyrnaei propter Romanorum familiaritatem quantum quisque voluit agrorum dono acceperunt [8]), et cum reliqua cis Taurum sita Asia, eis tantum regionibus exceptis quae Rhodiis datae sunt, Eumeni obtingeret, ut ceterae Graecae urbes plurimae liberae ac sui juris manserunt [9]). Quem Romanorum favorem atque amicitiam, cum semper eis fideles manerent, etiam posterioribus tem-

1) Liv. XXXVII, 33.

2) Polyb. XXI, 12. 8.

3) Diod. XXIX, 9. Polyb. XXI, 10. Liv. XXXVII, 34.

4) Polyb. XVIII, 35.

5) Liv. XXXVII, 54. Obsidionis, quam in bello contra Antiochum subierant, vestigia etiam Aelii Aristidis aetate cerni potuisse ipse narrat in epistol. ad Smyrn. I, p. 716 ed. Dind.

6) Liv. XXXVII, 16. 190 a. C.

7) Liv. XXXVII, 55: ubi pacis leges enumerantur.

8) Polyb. XXII, 27.

9) Liv. XXXVII, 55.

poribus sibi servaverunt. Nam cum Romani bellum gererent contra Aristonicum filium nothum Eumenis II atque Attali III fratrem non legitimum, qui fratris regnum, cujus heredes Attalus Romanos a. 133 a. C. instituerat [1]), suum vindicabat, Smyrnaei cum a Romanorum partibus starent, graves obsidiones tulerunt fortiterque pugnaverunt [2]).

Quum in eodem bello Romanorum ducis P. Licinii Crassi interfecti caput Aristonico traderetur, Smyrnaei corpus ejus humaverunt [3]).

Deinde cum tumultus in Italia ipsa exsisterent in bello sociorum [4]), Smyrna Romanis auxilium navale tulit. Quod vero P. Rutilium Roma depulsum (a. 93 vel 92 a. C.) [5]) civitate donarunt, non demonstrat, Smyrnaeos Romanorum amicos esse desiisse; immo vero postea, cum Romani intellexissent, P. Rutilium injuria condemnatum esse, Smyrnaei ideo ab illis laudati sunt [6]).

Magnum denique est documentum, quantopere Romanorum rebus faverint, quod M. Porcio Catone consule urbi (195 a. C.) [7]) Romae templum primi gentium exterarum consecrarunt, cum Romanorum imperium nondum prorsus confirmatum esset [8]); quam ob rem summo jure Cicero Phil. II, 2 Smyrnaeos fidelissimos atque antiquissimos socios appellat.

---

1) Plutarch. Tib. Grach. c. 14. — App. bell. Mithrid. c. 62 bell. civ. V. 4. — Flor. I, 35. 13. ed. Halm. — Liv. ep. 59. — Vell. Paterc. II, 4.

2) Aristid. I, 716.

3) cf. Eutrop. IV, 20. — Aristid. l. c.

4) a. 90—87 a. C. Tacit. ann. IV, 56 cf. interpr. Nipperdey.

5) cf. Nipperdey ad Tacit. ann. III, 66.

6) cf. Tacit. ann. IV, 43.

7) cf. Nipperdey ad Tacit. ann. IV, 56.

8) cf. idem ann. IV, 56.

Etiam cum Mithridates [1]) bellum cum Romanis a. 88 inciperet atque totam Asiam expugnaturus esse videretur [2]), urbes vero plurimae partim sponte partim vi coactae [3]) sese ei dedissent, Smyrnaei Romanis fidem servantes portis clausis fortissime se defenderunt [4]). Ac cum ejusdem belli tempore Smyrnaeorum populus, qui in foro forte convocatus erat, certior factus esset, Sullae exercitum propter hiemis severitatem atque vestium penuriam magno in periculo versari, omnes vestimenta exuisse atque Romanis misisse dicuntur [5]).

Smyrna his temporibus inter maxime praeclaras Asiae civitates erat (qua de re cf. Cic. Phil. II, 3) atque medicorum scholam, quae ab Eresistrato nomen traxit, cui tunc *Ἱκέσιος* praeerat, eo tempore floruisse Strabo narrat [6]).

Cum Dolabella post Caesaris caedem in Asiam venisset, Trebonius, cui paullo ante anno 44 Asia Ionica obtigerat provincia [7]), nec Smyrnae nec Pergami eum urbe

---

1) In Smyrnaeo nummo (cf. Mionnet III, p. 217 n. 1210) a fronte caput cum diademate a tergo Victoria dea incedens atque in dextra coronam ex palmis portans cernitur, cui adscriptum est: *ΖΜΥΡΝΑΙΩΝ ΕΡΜΟΓΕΝΗΣ ΦΡΙΞΟΣ.* Viscontius (iconograph. Grecq. pl. XLII) illud caput Mithridatis esse putat, atque Mionnetus eum sequitur, cum l. c. dicat: »M. Visconti juge avec raison que cette medaille précedement attribué à Seleucus II appartenait à Mithridates VI Eupator.« At Lanius p. 31 recte dicit, Victoria cum corona ac palmarum fronde Callinici nominis memoriam nobis revocare. Deinde statui nequit, Smyrnaeos, qui fere semper a Romanorum partibus steterint, nummos Mithridatis capite ornatos habuisse. cf. Hertzberg, die Geschichte Griechenlands unter der Herrschaft der Römer I, p. 379 sq. et quos auctores citat.

2) cf. App. bell. Mithrid. 20. — Eutrop. V.

3) Memn. ap. Phot. p. 230 v. 35.

4) Orosius VI, 2. p. 241.

5) Tacit. ann. IV, 56. cf. Arist. ep. ad Smyrn. I, p. 766.

6) XII. 580.

7) App. bell. civil. III c. 2.

recipere voluit. Sed ille, postquam Smyrnam vi capere frustra tentavit, Ephesum se recedere simulans, speculatoribus, qui ei a Trebonio submissi erant, deceptis eadem nocte Smyrnam non custoditam rediit, atque postquam scalis muros ascendit, Trebonium interfecit, urbis multas partes delevit [1]).

Imperatorum Romanorum aetate Smyrna maxime florebat ac secundum Strabonem *καλλίστη τῶν πασῶν* erat [2]) Viae ejus erant directae ac lapidibus stratae magnisque porticibus, qui tabulatis editi erant, ornatae; nec deerat bibliotheca atque *ὁμήρειον* cum Homeri statua [3]); portus urbis claudi poterat, hoc unum in urbe condenda neglectum erat, quod cloacae ibi non erant ita ut sordes post imbres maxime cumularentur.

Primo p. C. seculo Smyrna literis colendis prae tota Asia minore excellebat [4]); quare Iones, Lydi, Cares, Maeonii, Aeoles, Mysi, Phryges, Graeci Europaei, Aegyptii,

---

1) App. bell. civil. III, 26. Strab. XIV, 646. Vell. Pat. 69. 1. Cic. Philipp. II. 15.

2) XIV p. 646. Quem Aristid. *Μον. ἐπὶ Σμυρν.* I, p. 425 respexisse videtur; nam *καὶ λογίων*, inquit, *περιηγήσεις ἀναγραφόντων καλλίστην τῶν ἁπασῶν*. cf. Arist. *Σμυρν. Πολιτικ.* I, p. 374 sq. Id. *ἐπιστολ. περὶ Σμυρν.* initio: *Σμύρνα τὸ τῆς Ἀσίας ἄγαλμα.* Philostr. *ἐκ τῶν εἰς Τυανέα Ἀπολλ.* p. 66. ed. Kayser; ubi Smyrna nominatur *καλλίστη πόλεων ὁπόσαι ὑπὸ ἡλίῳ εἰσί.* C. I. G. n. 3191. *Ἡ πρώτη τῆς Ἀσίης κάλλει καὶ μεγέθει καὶ λαμπρότητι καὶ μητρόπολις τῆς Ἀσίας* cf. C. I. G. n. 3179. 3197. atque in nummis legimus: *CΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΑΣΙΑΣ Γ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΤΩΝ ΣΕΒΑΣΤΩΝ ΚΑΛΛΕΙ ΚΑΙ ΜΕΓΕΘΕΙ* cf. Eckhel D. N. V. I, 2. p. 559. Spanheim tom. I, p. 660. cf. quoque epigr. Antip.:

οἱ μὲν . . . . .
οἱ δὲ καλὰν Σμύρναν.

3) cf. Cic. pro Arch. poet. 8, 19.

4) Cf. Aristid. Smyrn. politic. I, p. 376„ *οὐδ᾽ ὅσαι Μοῦσαι πόλεις ἀνθρώπων ἐπέρχονται οὐδεμία ἐξοικεῖ. Πολλὴ μὲν γὰρ ἡ ἐγχώ-*

ut instituerentur Smyrnam veniebant [1]), porro homines docti ad hanc urbem se conferebant „ἅτε θύουσαν δὴ πόλεων ταῖς τῶν σοφιστῶν Μούσαις [2]). Commercium denique et terrestre et maritimum omniumque rerum officinae tum ibi florebant [3]).

Tanto autem favore apud Romanos florebat urbs, ut, cum Tiberio imperatore Asiae urbes huic templum consecrare constituissent [4]), Smyrnaei tantopere ceteris praeferrentur, ut ceterae urbes tantum septem, Smyrna vero sola quadringenta suffragia acciperet; nisi illud in dubium vocare volumus quia Aristides tradit, quem verbis res augere solere satis constat [5]).

Plinii aetate in urbe erat conventus magnae partis Aeoliae et Macedonum, quibus Hyrcanorum cognomen erat, et Magnetum ad Sipylum [6]).

Trajani, qui urbem etiam aquarum ductu instruxit [7]), aetate Smyrnaei primum Νεωκόροι [8]), deinde sub Hadriano [9]) ac Septimio Severo [10]) facti sunt. Hadrianus vero

---

ριος, πολλὴ δὲ ἡ ἔπηλυς, φαίης ἂν ἑστίαν εἶναι τῆς ἠπείρου παιδείας ἕνεκα."

1) Philostr. vit. Sophist. p. 220 ed. Kayser.

2) Idem l. c. p. 267 et 219.

3) Aristid. l. c. „πρὸς δὲ τούτοις χειρῶν ἔργα παντοῖα καὶ φορὰ γῆς καὶ θαλάττης ἰσάμιλλος."

4) Tac. ann. IV, 15 et 56 cf. Reisk. ad Arist. Epist. ad Smyr. p. 767. Effigies hujus templi in Smyrnae nummis invenitur. Eckhel l. c. I, 2. p. 547; Mionnet III 219; Suppl. VI 330.

5) I, p. 767. De simili re Hadriani temporum cf. Philostr. vit. Sophist. p. 231.

6) cf. Plin. N. H. V, 31. — Cicer. pro Flacco 29. 17.

7) cf. C. I. G. nr. 3146. 3147.

8) Krause civit. Neoc. p. 50. — Eckhel D. N. V. I, 2. p. 559. — Boeckh in C. I. G. n. 3144. — Mionnet III. 1273.

9) Eckhel l. c.

10) Boeckh C. I. G. n. 3179. In nummis imperatoris Gordiani

σωτὴρ καὶ κτίστης τῆς πόλεως [1]) nominatus est; quam ob rem urbs a nomine ejus Ἁδριανή appellabatur [2]) atque in ejus honorem Smyrnae Ὀλύμπια καὶ ἀγῶνες (Ἁδριανὰ Ὀλύμπια [3]) celebrabantur, ex quibus imperator Ὀλύμπιος nominatus est [4]). Jure vero Boeckhius in C. I. G. nr. 3175 conjicit, Hadriani jussu haec certamina instituta esse [5]).

Hoc igitur modo Smyrna divitiis atque opibus florebat et fruebatur Romanorum imperatorum favore.

Sed incolae Iones illi veteres non jam erant, etiamsi Ionica dialecto ψηφίσματα scribebant [6]) et Πανιώνια celebrabant: ingenui enim mores ac pristina concordia evanuerant [7]) et animi luxuria effeminati sunt. Itaque jure Apollonius Tyanaeus miratus est, cum illos Smyrnaeorum mores videret eosque voluit ἐφ' ἑαυτοῖς μᾶλλον φρονεῖν ἢ τῷ τῆς πόλεως εἴδει, ἥδιον δὲ ἀνδράσι τὴν πόλιν (αὐτῶν)

---

ap. Mionnet III n. 1416 legimus *CMYP. Δ ΝΕΩΚΟΡ* omnino Smyrnaei Νεωκόροι τῶν Σεβαστῶν etiam τῆς Θεᾶς Ῥώμης nominabantur. Eckhel D. N. V. I, 2. p. 559. Boeckh C. I. G. n. 3179. 3191. 3197.

1) C. I. G. 3174.

2) Eckhel D. N. V. I, 2. p. 544. — Mionnet III. 1109. — Suppl. VI. 1548. cf. Philostr. in vita Polemonis.

3) Philostr. vit. Sophist. p. 227.

4) C. I. G. nr. 3174.

5) „Quantum divinando assequi licet Hadrianus Smyrnaeis constitutionem ediderat de festis instituendis, credo de Olympiis socialibus Hadrianeis, qualia Athenis fuisse et Smyrnae constat, Smyrna enim ut Athenis Hadrianus fuit Ὀλύμπιος (v. nr. 3174). Hujus constitutionis exemplum ab Antonio Pio petunt Smyrnaeenses."

6) Philostr. ἐκ τῶν εἰς τὸν Τυανέα Ἀπολλ. Δ' V. p. 66. ed. Kayser.

7) De discordia Smyrnaeorum cf. Philostr. vit. Sophist. p. 227 ed. Kayser: Πολέμων ὁ σοφιστὴς . . . . . ἐνσπουδάζων τῇ Σμύρνῃ τάδε αὐτὴν ὤνησεν . . . . . ὁμονοοῦσαν καὶ ἀστασίαστον . . . . . πρὸς τοῖς ἄλλοις αὐτὴν πολιτεύειν διδάξας τὸν γὰρ πρὸ τοῦ χρόνου ἐστασίαζεν

ἐστεφανῶσθαι ἢ στοαῖς τε καὶ γραφαῖς καὶ χρυσῷ πλείονι τοῦ ὄντος [1]).

Videmus vero, his temporibus Smyrnaeorum nomina non jam Graeca fuisse [2]); Apollonius enim ille epistolam Ionibus, quo nomine Smyrnaeos quoque comprehendit [3]) scripsit propter hanc barbariem eos vituperans. Quam epistolam, cum illorum temporum rationem optime describat, hic totam adscripsi:

„Ἴωσιν. Ἕλληνες οἴεσθε δεῖν ὀνομάζεσθαι διὰ τὰ γένη καὶ τὴν ἔμπροσθεν ἀποικίαν, Ἕλλησι δ' ὥσπερ ἔθη καὶ νόμοι καὶ γλῶττα καὶ βίος ἴδιος, οὕτω καὶ σχῆμα καὶ εἶδος ἀνθρώπων. ἀλλ' ὑμῶν γε οὐδὲ τὰ ὀνόματα μένει τοῖς πολλοῖς, ἀλλ' ὑπὸ τῆς νέας ταύτης εὐδαιμονίας ἀπολωλέκατε τὰ τῶν προγόνων σύμβολα. καλῶς οὐδὲ τοῖς τάφοις ἐκεῖνοι δέχοιντ' ἂν ἅτε ἀγνῶτας αὐτοῖς γενομένους, εἴγε πρότερον ἡρώων ἦν ὀνόματα καὶ ναυμάχων καὶ νομοθετῶν, νυνὶ δὲ Λουκούλλων τε καὶ Φαυρικίων καὶ Λευκανίων τῶν μακαρίων. ἐμοὶ μὲν εἴη μᾶλλον ὄνομα Μίμνερμος“ [4]).

Marci Aurelii aetate Smyrna terrae motu deleta [5])

ἡ Σμύρνη καὶ διεστήκεσαν οἱ ἄνω πρὸς τοὺς ἐπὶ θαλάττῃ. et idem *ἐκ τῶν εἰς τὸν Τυανέα Ἀπολλώνιον* p. 67: *„καὶ μὴν (Ἀπολλώνιος) καὶ περὶ τοῦ πῶς ἂν πόλεις ἀσφαλῶς οἰκοῦντο ξυνεφιλοσόφει τοῖς Σμυρναίοις διαφερομένους ὁρῶν ἀλλήλοις καὶ μὴ ξυγκειμένους τὰς γνώμας.* cf. Boeckh in C. I. G. nr. 3184.

1) Philostr. l. c. VII, p. 67.

2) Id quod saepius in titulis ac nummis videmus cf. C. I. Gr. nr. 3148. 3159. 3178. 3204. 3211 al. Mionnet. III, 1211. 1234. 1248. 1260—1263. 1271 etc.

3) cf. Philostr. *Ἀπολλ. Τυαν.* IV, 5. p. 66. ed. Kayser.

4) Apoll. Tyan. Epistol. *οα'* p. 55. ed. Kayser.

5) Aristid. *Παλινῳδ. ἐπὶ Σμυρν.* I, p. 432 sqq. — Philostr. vit. Sophist. p. 252. cf. eundem *ἐκ τῶν εἰς τὸν Τυανέα Ἀπολλ.* p. 66. ed. Kayser. — Syncellus p. 353 D. — Hic terrae motus a. 179 p. C. accidit, de quo Aristid. *ἱερ. λογ. Γ.* I, p. 497 dicit: *„κῶμαι δὲ ἄρδην*

Aristide auctore ab imperatore Romano eodem in loco [1]) restituta est [2]); quam ob rem Aristides summo jure *οἰκιστής* nominabatur [3]) ac, cum Italiae et Graeciae et Aegypti Graeci Aristidi statuam constituturi essent, Smyrnaei hujus rei non expertes fuerunt, sed in ipsorum foro collocandam eam curarunt [4]).

Itaque factum est, ut Smyrna urbs prorsus restitueretur; atque fortuna et conditio ejus usque ad Romanum imperium divisum eadem mansit, post quod Byzantinis distributa Smyrna est.

Sed haec hactenus. De iis enim temporibus quae sequuntur alio loco dicam.

ἀπώλοντο, Ἐφέσιοι δὲ καὶ Σμυρναῖοι παρ' ἀλλήλους ἔθεον θορυβούμενοι, ἡ δὲ συνέχεια θαυμαστὴ καὶ τῶν σεισμῶν καὶ τῶν φόβων. Ad ea Aristides verba haud scio an referendi sunt versus hi (*Σιβυλλ. Λογ. Γ.* v. 306):

Ἥξει γὰρ Σμύρνα ἑόν κλαίουσα Λυκοῦργον
Εἰς Ἐφέσοιο πύλας, καὶ αὐτὴ μᾶλλον ὀλεῖται.

cf. etiam *Σιβυλλ. Λογ. Γ.* v. 365 III 341. V. 121.

1) cf. Arist. *Παλινῳδ. ἐπὶ Σμυρν.* XXI: *τρίτη δὲ χεὶρ τῶν πάντα νικώντων ἀνίστησι, τὴν αὐτὴν καὶ συντίθησι, μεταθεῖναι μὲν γὰρ οὐκ ἠξίωσεν, ἔρωτι τῆς ὑπαρχούσης οἱ δὲ ἐπὶ τῶν ἰχνῶν ἐγείρουσιν.*

2) cf. Philostr. vit. Sophist. p. 252 ed. Kayser. urbi denuo aedificandae Demochares Smyrnaeus praefectus erat atque cives statuam ei hoc titulo inscriptam constituerunt:

„Δαμοχάρι κλυτόμητι, δικασπόλε, σοὶ τόδε κῦδος.
Ὅττι γε τὴν Σμύρναν μετὰ λοίγια πήματα σεισμοῦ,
Ἐσσυμένως πονέων, αὖθις πόλιν ἐξετέλεσσας.

(Antholog. epigramm. lib. IV. cf. *Οἰκονομ. αὐτοσχεδ. διατριβ. περὶ Σμύρνης* p. 20.

3) Philostr. l. c.

4) Idem l. c.

THESES

QUAS

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

PRO

SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

DIE X. NOVEMBRIS A. MDCCCLXVI

HORA XI

PUBLICE DEFENDET

CYRIACUS DION. MYLONAS

GRAECUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

ALB. DE KAMPEN, SEM. PHILOL. SOD.
CAROL. GOECKER, DR. PHIL.

GOTTINGAE

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

GUIL. FR. KAESTNER.

I.

In Lysiae orat. III §. 18 codicis Palatini (X) lectionem: „ἔτι δὲ τυπτόντων αὐτὸν ὑπὸ τῆς μέθης" retinendam esse, neque vero vocabulum αὐτὸν cum Scheibio ad puerum a Simone amatum sed ad Simonem ipsum referendum esse contendo.

II.

In Properti lib. I, 8, 7 poeta scripsisse videtur: »Tu pedibus teneris positas super ire pruinas«.

III.

In Caesaris bell. Gall. l. VII, 8, 4 optimorum codicum lectio: »neve ab hostibus diripiantur« a Kranero et Nipperdejo recepta, videtur rejicienda, retinenda vero vulgata: »neve se ab hostibus diripi patiatur«.

IV.

Probo recentiorum opinionem, tetrametrum dactylicum antiquissimum fuisse versum.

V.

Carmina Homerica inde ab initio conscripta fuisse contendo.

VI.

Pronunciatio, qua nostrae aetatis Graeci utuntur, cuivis alii appellandi rationi praeferenda est.

VII.

In Graecorum artificiis non modo, quae ficta sint, sed etiam quo modo et qua ratione ficta sint, respici debet.

VIII.

Musei Berolinensis caput num. 175 notatum non Athletae sed Apollinis est.

IX.

Inscriptio candelabri argentei quam a Mustoxyde in libro, quem de Corcyra scripsit, editam C. Wachsmuth in Mus. Rhen. vol. XVIII. p. 549 descripsit: »*Δάματρος, Πουθέαο τραγαϝυδῶ· εὐκτεάω φαΐνειν*« adulterina est.
